

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4981

Auteur(s) : Rouen (official)

Bénéficiaire(s) : Robert Triasnon, « civis » de Rouen [autre]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1281, octobre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Raoul le Masnier vend à Robert Triasnon trois pièces de terre à Colemare.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CCCXVII, p. 326-327.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris, officialis Rothomagensis, salutem in Domino. Noveritis quod in nostra presencia constitutus Radulphus dictus Le Masnier, de parrochia Sancti Laurentii de Colemare, ut dicitur, de assensu et voluntate Emmeline, uxoris sue, que presens erat, coram nobis recognovit se vendidisse et omnino concessisse, quitasse et penitus demississe Roberto dicto Trianun, civi Rothomagensi, pro quatuor viginti libris turonensium, de quibus coram nobis se tenuit pro pagato in pecunia numerata, renuncians exceptioni pecunie non numerate, non habite et non solute, non tradite et non recepte, tres pecias terre quas dicebat se habere in parrochia predicta, quarum una sita est, ut dicitur, inter boscum Petri de Ethevilla, ex una parte, et terram Johannis de Atrio, ex altera ; alia vero pecia terre, videlicet secunda, sita est, ut dicitur, inter terram dicti Roberti Trianun et Ansquetilli dicti Canis, ex una parte, et terram Johannis de Atrio predicti, ex altera ; tertia autem pecia terre sita est, ut dicitur, inter terram Roberti Malsuent, ex una parte, et terram Petri dicti Canis, ex altera, sicut se proportant in longum et in latum : tenendas, habendas et perpetuo hereditarie possidendas dicto Roberto Trianun et suis heredibus dictas tres pecias terre cum omnibus pertinentiis ejusdem, bene et in pace, libere et quiete, et ad faciendum exinde, salvo jure dominico, tanquam de suo proprio hereditagio, omnem suam penitus voluntatem. Juraverunt insuper dicti Radulphus et Emmelina, ejus uxor, tactis sacrosanctis ewangeliis, spontanea voluntate, coram nobis, quod in dictis tribus peciis terre ratione hereditagii, maritagii, dotis, dotalicii, donationis propter nuptias, partitionis, successioneis, escanchie, conquestus, dominiis, elemosine, seu quacumque alia ratione sibi modo competenti seu competitura, nichil de cetero reclamabunt, nec dictum..... aut ejus heredes super premissis in aliquo foro ecclesiastico vel seculari aliquatenus molestabunt. Immo ipsi et heredes sui, quos ad hec specialiter obligarunt, dicto Roberto et heredibus suis dictas tres pecias terre contra omnes gentes garantizabunt et ab omnibus impedimentis et obligationibus penitus acquitabunt et liberabunt, aut alibi in suo proprio hereditagio, valore ad valorem, si necesse fuerit, excambiabunt, omnia bona sua que ad hec in contraplegium obligantes, asserentes per sacramenta sua coram nobis quod istam venditionem fecerunt propter suam necessitatem. In cujus rei testimonium, presenti scripto sigillum curie nostre, ad instanciam parcium, duximus apponendum.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo, mense octobris.